

Admodum R/de Pater,

Intentio Summi Pontificis in decreto illo de conceptione duplex fuit. Una, ut ostenderet gratum esse suae Sanctitati, ut omnes fideles se conformarent Ecclesiae Romanae, quae celebrat publice Conceptionem immaculatam; et ideo prohibetur publice praedicari, vel doceri, vel in disputationibus defendi sententiam contrariam. Altera fuit, ut tolleret contentiones publicas de hac re, quae sine scandalo non sunt; et ideo prohibuit contrariam sententiam oppugnari, et propter istam causam Romae in publicis disputationibus non permittitur tractari illam quaestionem. Ex his aperte colligitur, verba decreti esse intelligenda ut sonant, id est, non solum quod non liceat qualificare sententiam contrariam ut haereticam, vel erroneam, vel scandalosam, sed ut non liceat eam impugnare, vel attingere quocumque modo. Sic etiam fiet, ut istae rixae scandalosae tollantur, et tamen sententiam magis pia publice praedicetur, et paulatim omnino praevaleat. Speramus enim R/dos Patres Praedicatores hoc modo suaviter induci posse, ut communem sententiam tandem amplectantur, et unum dicamus, et sentiamus omnes, qui unum corpus sumus in Christo, et unum caput habemus, et de uno spiritu vivimus. Ago gratias R/ae V/ae quod memoria mei apud vos adhuc viveat, et obnixè peto, ut ferventibus precibus suis commendet Deo salutem animae meae, cum me brevi sperem de hoc terreno habitaculo migraturum. Datum Romae die 14. Novembris 1617.